

*Mandata*, de Præsumpt. n. 4, assignans pro regula in privilegiis magis esse utendum conjecturis, quam recurrendum ad expressionem nominis proprii, vel dignitatis. Est autem eadem ratio de aliis nominibus rem vel personam significantibus.

13. *Præter verba attendenda etiam materia privilegii.* — Altera declaratio est, ut, ultra verba, materia privilegii spectetur; oportet enim talis esse conditionis vel qualitatis, ut possit juste et recte ad illam adaptari privilegium, ideoque juxta illius capacitatem interpretanda sunt verba. Nam, licet verba sonent privilegium reale, si materia non potest accommodari recte perpetuitati privilegii, interpretanda erunt de personali, et e contrario. Ita Panormitan. in capit. *Adversus*, de Immunitate Ecclesiarum, num. 17, et in cap. *Quoniam Abbas*, de Offic. delegat.; et late Anchar. in dicta regula *Privilegium*, quæst. 1, circa finem, ubi varia inducit exempla, et alii supra citati. Sumiturque ex illo principio juris quod verba debent rebus servire, non res verbis, et ideo interpretanda sunt juxta materiam capacitatem. Item ex illo quod leges ita interpretandæ sunt, ut absurdum non contineant. Atque ita in capit. *Dilecti*, de For. competen., supponitur rescriptum datum ad quemdam Episcopum sub proprio ejus nomine transire ad successores; e contrario vero in c. *Adversus*, de Immunitat. Ecclesiar. dicitur extingui cum persona, quod ad Prælatum sub hac appellatione dirigitur, quia in utroque loco materia ita postulabat, et similia multa videri possunt in citatis auctoribus.

14. *Quid dicendum in dubio an privilegium sit reale vel personale.* — Atque hinc obiter intelligitur, primo, quid dicendum sit quando fuerit dubium an privilegium reale sit vel personale. Auctores enim interdum dicunt præsumendum esse reale, ut affirmat Tiraq., de Primogenit., quæst. 40, n. 72; citat vero duas Glossas, unam in l. *Forma*, § *Quanquam*, ff. de Censib., quæ nihil dicit; aliam 25, q. 1, in princ., quæ dicit contrarium. Citat etiam Alexand. et alios in leg. *Quia tale*, ff. Solut. matr., ubi Barbos., n. 4, in fine, plures refert. Sequitur etiam Anton., 1 part., tit. 19, c. 1, § 2, in fine; et Emman. Roder., t. 1, quæst. 56, art. 12. Ad quod allegantur leg. *Ætas*, et dictus § *Quanquam*, ff. de Censibus, quæ jura nihil probant præter regulam generalem, quod privilegium rebus concessum est reale; personis autem personale. Allegatur etiam c. *Cum venisset*, de Instit. quod solum probat in

aliquo casu, licet sit aliquod dubium, multo majores esse posse conjecturas quod privilegium sit reale, et ideo id esse præsumendum, nisi contrarium probetur, quod est per se notum, sed non minus poterit contingere oppositum, ut per se constat. Denique adducitur ratio quod, licet persona inferatur in privilegio, non statim fit personale: idem vero dici poterit de re: nam, licet res inseratur in privilegio, non statim fit reale.

15. Et ideo alii communiter dicunt in dubio privilegium præsumi personale, quod tenet dicta Gloss. 25, quæst. 2, in princip.; et Bartol., cons. 189, n. 4. Idem Jason. in leg. *Sic*, 2, ff. de Verb. obligat., qui tamen exeiipit immunitatem, seu privilegia obtenta per viam contractus; dictam vero sententiam absolute tenet Decius in leg. *In omnibus causis*, ff. de Regulis juris; et plures, quos Barbos. supra refert, n. 4. Hoc etiam tenuit Emman. Roder., eodem tom., quæst. 30, art. 15, nulla facta distinctione vel adhibita concordia. Ratio pro hac sententia esse potest, quia privilegia sunt stricti juris, et ideo in dubio potius sunt interpretanda esse personalia, quam realia, ut restringatur concessio, quia reale privilegium, quo est durabilius, eo est majus, cæteris paribus, ut per se constat; ergo in dubio restringendum est ad personale.

16. Has vero opiniones ita concordat Barbosa in dicta l. *Quia tale*, n. 4: in dubio tunc censi privilegium personale, quando verba referuntur ad personam, et aliæ conjecturæ de alia principali causa vel intentione non extant, et sic procedere hanc secundam opinionem. In simili vero dubio, si verba ferantur directe ad rem, privilegium censi reale, et ita procedere priorem opinionem. Citat Gloss. in Clementina 1 de Decimis, verb. *Excolendas*; et Panorm. in cap. *Ex parte*, 1 de Decim., n. 4. Sed illi solum tradunt generalem doctrinam supra traditam de modo distinguendi privilegium personale et reale ex verbis. Unde mihi non placet conciliatio, nec videtur expedire quæstionem, quia non inquiritur, vel certe dubitari non debet, an privilegium, quod in cæteris est æque dubium, et in hoc excedit quod verba dirigantur ad rem, sit reale; vel si excedat quia verba diriguntur ad personam, sit personale. Nam de hoc nulla esse poterat ratio dubitandi. Imo tunc non videtur posse vocari privilegium dubium, sed certo reale, vel certo personale juxta exigentiam verborum; nam signum datum de verbis certum est et juridicum, quando aliud ex conjecturis

non constat, et consequenter quando alia sunt dubia. Quæstio ergo propria est, quando privilegium est dubium omnibus pensatis, ita ut, licet verba videantur dirigi ad personam, aliæ conjecturæ indicant intentionem legislatoris principaliter respexisse ad rem ipsam, vel e contrario: ac denique quando, omnibus supra dictis omni ex parte pensatis, res est utrinque dubia. Tunc enim dici non potest conjecturam verborum semper esse præferendam, quia nulla ratione hoc fundatur, cum possit esse in aliis æqualitas vel excessus. Præsertim quia illa conjectura verborum non tam ex significatione propria illorum quam ex ordine, vel tali conjunctione desumitur, quæ conjectura magis incerta est; et ideo dixit Panormitan. in dict. cap. *Mandata*, alias conjecturas ex causis et materia privilegii esse anteponendas.

17. Sic ergo intellectam quæstionem resolvendam esse censeo, duplici distinctione privilegii præmissa. Una est vulgaris de privilegio, quod est purum beneficium, et quod est contra jus commune, aut tertii. Alia est satis etiam trita de duplici dubio: negativo, in quo definiunt rationes determinantes intellectum ad alterutram partem, et ideo suspensus manet; et positivo, in quo sunt pro utraque parte rationes probabiles, et sufficientes ad definitum assensum præstandum, licet incertum. Primum genus dubii vix habet locum in proposito, quia semper interveniunt conjecturæ sufficientes ad ferendum aliquod iudicium, ut clare constat ex materia subjecta, et ex his quæ diximus. Et licet fingatur casus in quo tanta sit æqualitas inter rationes et conjecturas utriusque partis, ut intellectus dubitet quid verum sit, semper tamen potest judicare unum et alterum esse probabile, quod satis est ad iudicium practicum de agendis.

18. Dico ergo imprimis, in quocumque ex his dubiis, sive negativum fingatur, sive positivum, privilegium favorabile, seu quod est purum beneficium, judicandum esse reale per regulam juris: *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum*; et per aliam regulam, quod tale beneficium latam admittit interpretationem, l. ult., ff. de Const. princ.; et ita docet Bald. in l. 3, ff. de Const. princ., lect. 1, n. 17; et idem sentit Bart. in l. ult., ff. de Servit. legat., n. 4. Cujus sententiam aliqui extendunt etiam ad casum in quo verba clare dirigantur ad personam. Sed hoc nec verum est, cum repugnent omnia jura; nec ad mentem Bartoli, cum ipse aperte loquatur in casu dubio, et addat semper, nisi ex verbis

aliud constet, ut late expendit et confirmat Barbos., n. 11 et 12.

19. *Privilegium odiosum contra commune jus, vel in præjudicium aliorum cedens, in dubio censendum esse personale, si utraque pars dubii sit probabilis.* — Deinde dicendum est privilegium odiosum, quod sit contra commune jus, vel cedat in aliorum præjudicium, in dubio censendum esse personale, quia restricte intelligendum, et ideo ita est interpretandum ut potius temporale damnum inferat, quam perpetuum. Et hoc etiam docet Bart. citato loco, et videtur esse sine controversia. Quia vero, ut dixi, hoc dubium positivum est, ideo oportet supponere utramque partem dubii esse probabilem; nam si una sit probabilis, et altera improbabilis, illa prior non dubia, sed certa habenda est. In gradu ergo probabilitatis potest esse inæqualitas, et tunc, si præsumptio quod privilegium sit personale sit probabilior, a fortiori procedit simpliciter regula. Si tamen probabilius videatur esse reale, tunc certe privilegiarius ipse potest in foro animæ illud retinere ut reale, et idem censeo esse judicandum in forensi iudicio; tum quia major probabilitas est quædam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit; tum etiam quia major probabilitas suo modo confert majus jus, quod in sententia ferenda præferendum est, quia in ea servari debet distributiva justitia, ut D. Thomas docuit 2. 2, quæst. 63, art. 3, ad 1. Hæc autem intelligenda sunt per se loquendo, et considerando naturam privilegii et originem ejus, antequam possessio vel usus ejus in alterutram partem inclinet: tunc enim succedit alia regula juris, quod in dubio melior est conditio possidentis, et ideo si privilegiarius possidet illud ut reale, licet oriatur dubium, quamdiu illa pars manet probabilis, potest jus suum retinere, donec aliud per iudicem authentice declaretur.

## CAPUT IV.

DE PRIVILEGIO REMUNERATIVO ET CONVENTIONALI,  
AN REALE SIT VEL PERSONALE.

1. *Privilegium gratiosum quid.* — *Privilegium remunerativum quid.* — Ex dictis in superiori capite, intelligi potest qualia sint privilegia remunerativa et conventionalia, et obiter explicantur duæ aliæ divisiones privilegii. Secunda ergo divisio illius sit in gratiosum et remunerativum. Gratiosum dicitur quod gratis conceditur sine ullo respectu ad merita



privilegii, vel parentum, aut aliorum, qui quaecumque illud meritorum jus in illum transtulerint. Remunerativum autem dicitur, quod propter merita propria, vel aliena alicui applicata conceditur. In quo oportet advertere non omne privilegium in quo merita recipientis considerantur esse remunerativum, sed solum quando tribuitur illi in præmium, et consequenter in commodum proprium. Aliquando enim conceditur privilegium alicui propter commune bonum, et nihilominus in eo considerantur bona merita ejus cui conceditur: non tamen ut merita, sed ut indicia virtutis, prudentiæ et industriæ, quæ in tali persona considerantur, ut ei tale ministerium vel tam ampla potestas per tale privilegium committatur. Exemplum est in dicto c. *Mandata*, de Præsumpt. ubi Pontifex cuidam maximo Episcopo legationem totius Siciliæ concedit, non quidem in remunerationem, sed quia, *Mandata* (inquit) *caelestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur*; qui respectus solum est boni communis, et nihilominus declarat hoc concedere personæ, et pro ratione reddit: *Quia, ex transacta in te vita, didicimus quid de sequenti conversatione tua præsumamus.*

2. *Privilegium fundatum in meritis esse quasi intrinsece personale, sentiunt multi.* — Utrumque autem ex his privilegiis esse potest, et contra commune jus, et solum ultra vel præter illud, quia utrumque concedi potest intuitu meritorum, vel sine illis: et ad eundem modum omnis alia varietas privilegiorum potest in utroque illorum membrorum inveniri, quia per se solum differunt in ratione præmii, et simplicis gratiæ, seu in habitudine ad merita, aut carentia ejus. Solum de præcedenti divisione, et consequenter de perpetuitate privilegii solet dubitari an locum habeat in utroque ex illis membris. Nam de altero, scilicet, de privilegio liberali omnes fatentur, et personale, et reale esse posse, et discernendum esse juxta principia posita, quia gratia potest fieri personæ et rei, ut per se constat. At de privilegio remunerativo, licet constet esse posse personale, dubitari solet an semper ac necessario tale sit, vel possit etiam esse reale. Multi enim sentiunt privilegium fundatum in meritis quasi intrinsece esse personale, nec posse judicari reale. Ita tenent Jason., Alciatus, Paulus de Castro, Aretinus, et alii quos refert et sequitur Barbosa supra, n. 6 et sequentibus. Fundatur præcipue in leg. 1. ff. de Constitut. principum, et in ra-

tione ejus. Dicit enim ibi Ulpianus, ex legibus quasdam esse personales, quæ ad exemplum non trahuntur, et tales significat esse privilegia remunerativa, sublit enim: *Nam quæ princeps alicui ob merita indulset, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* Unde etiam sumitur fundamentalis ratio, quia causa principalis privilegii præcipue spectanda est ad judicandum an sit personale; sed merita sunt principalis causa talis privilegii, et sunt ita propria personæ, ut illam nec egrediantur, nec ad alium pertineant, qui illa non habeat; ergo tale privilegium necessario est personale, juxta regulam juris, ff. 69: *Ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficit.* Et confirmatur, quia privilegium, quod simpliciter concessum, fuisset reale; si in ipso declararetur dari propter merita, efficitur personale juxta dicta cap. *Mandata*, ubi sentit Panor., n. 1, et in cap. *Quoniam Abbas*, de Offic. deleg., et utrobique Felin. et alii.

3. *Refutatur fundamentum prædictæ sententiæ.* — Sed, quidquid sit de veritate opinionis, male certe probatur ex leg. 2, ff. de Constitut. princip., et alia fundamenta levia sunt. Nam cum illa lex dicit, *plane ex his* (nimirum constitutionibus) *quædam sunt personales, etc., longe aliter accipit constitutionem personalem, quam nos loquamur de privilegio personali.* Distinguit enim ibi legem personalem a lege simpliciter, seu a lege communi, prout expressius declaravit, consummando divisionem Imperator, in § *Sed et quod*, Inst. de jur. nat., etc., dicens in fine, *alias esse generales, quæ omnes obligant.* Et ita, ut divisio sit integra, legem personalem ibi vocat legem privatam, quæ intuitu privatæ personæ fit, non intuitu communitatis. Sic autem lex personalis, non tantum personale privilegium, sed etiam reale complectitur: quia etiam privilegium reale est lex privata, et conceditur intuitu privatæ personæ. Nam (ut dixi) omne privilegium personæ datur, licet aliquod super rem immediate constituatur, et hoc modo in omni privilegio intervenit persona; id tamen non est satis, ut sit personale stricto modo, ut nunc loquimur, et sumitur ex dicta lege *Juris gentium*, § *Pastorum*, ff. de Pact.; sufficit tamen ut talis lex dicatur personalis, id est, in favorem privatæ personæ edita; et ita sine dubio loquitur illa lex prima, comprehenditque sub illa voce non tantum privilegium personale, sed etiam reale. Imo non solum lex privilegiativa, sed etiam

punitiva, si specialiter feratur, et in odium certæ personæ fiat, ut interdum ex justa causa fieri potest, sub illo membro legis personalis comprehenditur, quia non est lex publica et communis.

4. Tota autem hæc expositio ex exemplis a jurisconsulto adductis manifeste probari videtur. Nam primo ponit exemplum de lege remunerativa, ibi: *Quæ princeps ob merita alicui indulset*, ubi Glossa declarat, *ut privilegium*, nec se restrinxit ad personale. Secundo, de lege privatim puniente, *Si quam pœnam irrogavit*, utique specialem, et præter legem communem, quod significavit Glossa dicens: *Non merenti tantum.* Tertio addit: *Vel si cui sine exemplo subvenit*, ubi Gloss., *Vel quia pepercit pœnam merenti.* Mihi autem videtur omne liberale beneficium seu privilegium posse illis verbis comprehendi, sive illud consistat in remissione pœnæ debitæ, sive in concessione boni non debiti ullo modo. Et ita inspecta tota lege, lex personalis legem non tantum remunerativam complectitur, sed etiam punitivam, et liberaliter benefactivam. Et in omnibus his membris potest inveniri quid reale, et personale stricte, ut nunc loquimur. Nam, incipiendo ab ultimo, non solum potest princeps subvenire alicui gratis et sine exemplo remittendo pœnam realem, ut confiscationem bonorum, quæ optime dici potest pœna realis, quia rem afficit, et cum illa transit. Vel etiam potest subvenire alicui sine exemplo, liberaliter concedendo rebus illius realem immunitatem ac perpetuam. Nam lex etiam sic lata personalis est, id est, particulari personæ favens, licet favor consistat in rerum immunitate. Et similiter in secundo exemplo habet locum pœna personalis et realis extraordinaria, ut confiscando ejus bona, vel tributum aliquod ei imponendo ultra communem legem, sed speciali arbitrio principis. Idem ergo inveniri poterit in primo exemplo de privilegio remunerativo, ut statim declarabo.

5. *Objectio.* — Neque contra hanc expositionem obstant proprietates quæ per verba istius legis tribuuntur constitutioni personali, scilicet: *Quod ad exemplum non trahitur, personam non egreditur.* Nam si privilegium reale dici posset lex personalis, falsum esset absolute legem personalem personam non egredi; hæc enim indefinita æquivaleret universali, quæ falsa est; nam privilegia realia personam egrediuntur, ut supra dictum est. Sed hæc objectio non obstat; nam prior proprietas in univer-

sum vera est, et in reale privilegium optime cadit. Nam, licet prædia religionis, verbi gratia, sint exempta a tributis, vel decimis, per privilegia realia, non possunt trahi in exemplum ut omnia talia prædia sint similiter exempta. Idemque est in omnibus aliis. Itaque sensus est legem privatam non esse normam, seu mensuram operationum communitatis, vel civium indifferenter, sed illius tantum cui concessum est privilegium, quem aliis imitari non licet. Et ita hæc pars recte explicatur per aliam regulam juris, *Quæ a communi jure exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt trahenda*, quæ est 28, in 6, ubi Glossa, allegando dictam l. 1, hunc sensum indicat. Expressius vero id patet ex Reg. jur. in 6, 74: *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Quod tam de privilegio reali, quam de personali verum est, et ita ibi Joann. And. inter alia exempla ponit privilegium decimarum.

6. In altera vero proprietate suboritur difficultas, quia privilegia realia personam egrediuntur; ergo illa negatio non potest vere cadere in privilegium, quia illa indefinita, cum doctrinalis sit, æquivaleret universali. Sed hoc parum obstat, quia illa posterior pars fere eundem sensum continet quem prior. Dicitur enim lex personalis personam non egredi, quia non possunt aliæ personæ illo jure uti quasi per imitationem, vel usurpationem, quo sensu dicuntur hæc non esse trahenda in consequentiam in illo capite *Quæ a jure*, de Reg. jur., in 6. Ubi Glossa declarat hoc per privilegia, quia per consequentiam non extenduntur ad alios, præterquam ad expressos in illis, quod tam est verum in privilegiis realibus, quam in personalibus; neutra enim personam egrediuntur hoc modo, scilicet, per consequentiam, vel exemplum. Huic ergo proprietati non obstat quod privilegium concessum Petro, et toti posteritati transeat ad hæredes, tum quia non transit per consequentiam, sed per formalitatem (ut sic dicam); tum etiam (et fere in idem redit) quia, transeundo ad hæredes, non egreditur personam, quia illis etiam facta fuit concessio. Similiter, quod privilegium reale transeat ad alios, ad quos res transit, non transit per exemplum, vel consequentiam, nec egreditur limites concessionis, quia, in illa, virtute continetur, ut illa fruantur omnes ad quos talis res devenerit, et ita in rigore personam non egreditur, personam scilicet, pro qua facta est privata lex, licet absolute egredi possit personam cui primo facta est gratia,